

Nicolaus Henelius in eorum virorum, qui et gerendis et describendis rebus de patria optime meruere, numero habendus est. Neostadii, Silesiae superioris oppido, in quo pater sacra faciebat, Januario mense anni MDLXXXII natus est. Quum primum domi, deinde Oppaviae, primis literarum elementis imbutus esset, Vratislaviam se contulit, in gymnasio Elisabetano hujus urbis literis optimisque disciplinis operam daturus. Hinc anno MDC Jenam abiit, ut ibi verbo medendi arti, re ipsa juris disciplinae studeret. In patriam reversum Nicolaus Rhediger, vir clarissimus, qui duobus filiis non praeceptorem modo, sed custodem etiam rectoremque quaereret, magna mercede proposita commovit, ut haec munia obiret. Una cum juvenibus peregre profectus, Lipsiam, Francofurtum, Argentoratum, Lutetiam Parisiorum adiit, qua in urbe, quae tunc nefarii parricidae Francisci Ravallac immani scelere et supplicio concitata erat, Henelio familiaritas et consuetudo intercedebat cum Isaaco Casaubono aliisque viris doctis. Genabi, Francogalliae urbe, dignitatem et nomen doctoris juris utriusque assecutus, Alpes transiit et Italiae superioris urbes visit. Inde Romam Neapolimque petiit, ibique aliquamdiu commoratus, per Austriam anno MDCXII ineunte in patriam rediit. Libellis, qui inscripti sunt Silesiographia et Breslographia, editis tantam sui exspectationem commovit, ut paulo post, anno MDCXVIII, Syndicus provincialis ducatus Monstergurgensis et civitatis Francosteiniensis crearetur. Quum, belli tristissimi procella desaevente, Vratislaviam confugisset, a Ferdinando II Caesare anno MDCXXXI consilarii dignitate et nomine auctus est; octo annis post vero Syndici Vratislaviensis munus suscepit. Ne autem quidquam honorum amplissimorum viro laudato deesset, anno MDCXLII a Ferdinando III Caesare nobilium ordini adscriptus et Henelius ab Hennenfeld cognominatus est. E vita discessit Vratislaviae die XXIII mensis Quinctilis anni MDCLVI.

Librorum ab Henelio scriptorum plerique nondum editi, sed in scriniis bibliothecarum Vratislaviensium adhuc reconditi sunt. Praeter Silesiographiam, quam bis edidit *), et ea scripta, quae Frid. Guilelmus Sommersberg emisit **), Silesiae togatae libri, quibus de vita moribusque virorum de patria optime meritorum egit ***), numerum aliquem obtinent. Sed de his alio loco verba facturus sum.

Omnium vero, quos ille composuit, librorum primo loco referendus est ille, qui inscriptus est Breslographia i. e. descriptio Vratislaviae. Primum typis exprimendum curavit anno MDCXIII †); deinde vero, longo temporis spatio intermisso ††), summa cura et opera adhibita rem totam retractavit, e libris annalium tabulisque vetustis, quicquid ad singulos locos vel corrigendos vel augendos faceret, excerpserit, suoque loco reposuit, ita ut novum quasi opus e manibus ejus prodire videretur. Cujus quidem auctioris emendationisque libri calamo scripti exemplar, quod in bibliotheca Rhedigeriana hujus urbis asservatur, a rerum Vratislaviensium peritis nondum ita, ut par fuit, excussum esse videtur, quam ob rem hoc loco pluribus verbis de eo agendum foret, nisi vererem, ne rei tam obsoletae taedium lectores caperet.

Nicolaus Henelius primus viam aperuit, qua ad res veteres Vratislaviensium accuratius cognoscendas et ad historiam hujus urbis rectius tractandam pervenire possent posteriores scriptores. Neque solum primordia urbis, res bello gestas, seditiones civium, clades acceptas, incendia, pestes, imo rerum omnium memoriam scribendo complexus est, sed etiam reipublicae formam, instituta et leges, cultum humanum et civilem, et quaecumque alia ad res urbanas et domesticas pertinere viderentur, diligentissime exposuit.

Quae quidem de urbis nostrae origine, rectoribus, bellis, cladibus variisque casibus vir eruditus et in rebus Vratislaviensibus tractandis multum versatus incredibili fere labore et studio congegessit et proposuit, quamvis omnia satis auctoritatis et fidei habeant, vix tamen omni ex parte probabuntur nostri aevi viris doctis, qui post Klosii aliorumque curas et studia memoriam antiquitatis collegerunt. Nostris

*) Nicolai Henelii Silesiographia h. e. Silesiae delineatio brevis et succineta. Francofurti MDCXIII. — Ejusdem Silesiographia renovata. Vratislaviae et Lipsiae. MDCCIV. 4.

**) Cf. Rerum Silesiacarum scriptores. Vol. I—III. Lipsiae, MDCCXXIX—XXXII. Fol.

***) Nicolai Henelii a Hennenfeld Silesia Togata, sive Silesiorum, qui litterarum, militiae, aliarumque artium et virtutum togatarum fama inclaruerunt, Eulogia et Memoriae. Cod. mss. bibl. Rhediger.

†) Breslographia h. e. Vratislaviae, Silesiorum metropoleos nobilissimae, delineatio brevissima, auctore Nicolao Henelio. Francofurti MDCXIII. 4.

††) Anno MDCLIII.

enim tem
credula v
vel occu
diligentius
est omni
Fide dign
de institu
de civium
intelligent
gnoscant
urbanis s
plagulis a

enim temporibus multa accuratius investigata et examinata sunt, quae antiquitas credula vel fabulose narravit vel ex vano hausit, multa, quae in tenebris jacerent vel occulta et quasi involuta essent, tabulis et monumentis literarum antiquissimis diligentius inspectis in lucem prolata sunt. Locupletissimus vero auctor et testis est omnium eorum, quae ipsius aetate Vratislaviae aut gesta sunt aut exstiterunt. Fide dignissima sunt, quae de urbis conditione et statu, de aedibus et rebus sacris, de institutis publicis privatisque, de civitatis gubernandae ratione, de jurisdictione, de civium moribus, cultu, victu, amictu fuse lateque disseruit. Quod ut satius intelligant, simulque, quo genere et qua ratione scribendi usus sit Henelius, cognoscant lectores, haud incommodum fore arbitratus sum, si ea, quae de hortis urbanis suburbanisque tunc maxime florentibus enarravit, e codice exscripta his plagulis adjunxero.

DE
HORTIS VRATISLAVIENSIBUS.

Horti non in suburbiis modo, sed et intra pomeria, in parte praesertim urbis Transolaviana, amoenissimi fertilissimique, largum epularum, quas terrestres Plautus, Horatius egregie coenam sine sanguine, imitatione Graeca, parasiti nimirum apud Diphilum comicum, adpellavit, usum locupletibus aequae ac pauperibus praestantes et suavissima quadam jucunditate etiam invitos invitantes. Vel enim arboribus, qua fructiferis, qua delectationis tantum gratia coli solitis, puta pomis, piris, prunis, cerasis, persicis, nucibus, cotoneis sive cydoniis, castaneis, amygdalis, malis armeniaticis, mespilis, berberibus, grossolariis, sambucis, moris, vitibus, tum semper virentibus buxis, ex quibus mille rerum formae opellis topiariis docta manu finguntur, sunt consiti, vel lupinis, ciceribus, phaseolis, pisis, fabis, smilacibus, aliisque leguminibus pleni: vel herbis edulibus ac radicibus refertissimi: quales sunt caules sive brassicae in olerum genere praecipuae, betae, atriplices, lactucae, rapae, raphani, pastinacae, asparagi, allia, rusticorum theriaca, cepae (usitatum his locis in coctione piscium, praesertim luciorum, ut et aliis in cibis condimentum), petroselina, plerisque ferculis innatantia, cucumeres et hujusmodi complures: in quibus nec melones, pepones, cinaras et id genus hortenses delicias desideres: vel denique multiplicibus herbis ac floribus, qui, ut mira colorum elegantia oculos visentium delectant, ita suavi quoque odorum fragrantia nares adficiunt, et ex quorum adeo nexu, mistura et dispositione (ne quid de eorundem, vel in re medica, vel in ciborum condimentis, usu dicam) confit omnis illa coronarum gratia, in qua se praecipue jactat Breslavia, exornati. Praecipui ex iis sunt rosae, violae, diversorum colorum ac generum, lilia, rosmarinus, amaracus, nicotiana, ruta, cyparissus, nasturtium, cochlearia, cuminum, mentha, salvia, tum, qui principatum

sibi inter
excepta,
tonicae a
nustas co
candore
raeque a
et nomen
florum st
compensa
sic hume
colorem

Quo
cissus ste
flavus, fl
ansulae s
themum l
se plurim
tem ob s
sive Gels
matici si
ad extren
rutilante
bacea, v
odore, q
quibus ta
rius ema
equestren
Haltroni
culum m
a se licit
amentian
ganter q
Qui solis
destinant
delirii q
externa s
pecuniam
tiam pat
vel usu,

sibi inter omnes, sola fortassis rosa (quis enim color puniceae flore prior rosae?) excepta, facile arrogant Phloges sive Caryophyllaei flores, officinis Tunicae et Venonicae atiles sive coronariae: in quibus, mangonio et arte, magna varietas et venustas conspicitur. Illae circo fulgent: istae saturata purpura nitent: aliae niveo candore blandiuntur: quaedam vermiculato opere et vario adspectu arrident: pleraeque autem gratissimum caryophyllorum aromaticorum odorem spirant. Unde et nomen acceperunt: quibus haud scio an uspiam locorum gentiumve tantus a florum studiosis adhibeatur cultus, magnitudine foenoris cultorum laborem abunde compensans. Quae coloris rubei sunt ac folii simplicis, aqua forti illinuntur: et sic humectatae dispansaeque affiguntur tabulae lignae, donec siccescant. Servant colorem suum integrum, ut duriusculae fiant ac bene tractabiles.

Quod si quis peregrini etiam coeli flores requirat, occurret illi passim narcissus stellatis foliis, in medio fimbriata corolla ex croco purpurascente, itemque flavus, flore simplici et plano: occurret Iris amoena colorum mistura, curvata in ansulae speciem, fronde coelestem in imbris arcum imitata: occurret Chrysanthemum Peruvianum sive Flos solis, quod solem semper respiciat adque ejus radios se plurimum pandat, sic dictus: occurret liliium Persicum a natali solo, vulgo autem ob similitudinem corona imperialis sive regia nuncupatum: occurret Jasminum sive Gelseminum album: occurret denique liliium illud Macedonicum, quod ex Dalmatici sive Turcici pilei imagine Tulipanum vocant. In quo quidem flore natura ad extremum virium suarum conatum omnes affinxisse colores videtur: hic purpura rutilante: illic lacte candente: istic sanguine florente: alibi lutea, phoenicea, herbacea, versicolori specie visenda: sed id sine ullo tamen aut certe exiguo, qua odore, qua virtute. Ut haud immerito miretur vir doctissimus hominum stultitiam, quibus tanto in pretio est tulipa flos advena, ut saepe rarioris coloris aliquam carius emant, quam mullum pisces Romanus, paucos caducae venustatis flores super equestrem Quiritium censum aestimantes: ipseque adeo Philandro apud Car. P. Haltronium non possim non adsentiri, qui Fortunato dicenti, quod tulipanae flosculum minio et lineis albis distincte variegatum bis centum aureis numis quidam a se licitatus fuisset, nec ipse tamen tanti vendere voluisset: duplicem hanc esse amentiam, et offerentis puta, et renuentis, bellissime respondit. Nec minus eleganter quam vere Petrus Laurembergius V. Cl. Horti culturae suae lib. I. cap. 1. Qui solis, inquit, deliciis et oblectamentis ex florum adspectu et odore hortos suos destinant, neglecta, quae ex esculentis venit, utilitate, nae illi homines stultissimi delirii quadam specie laborare videntur, quam *ἀνθομανία* vocare posses. Hi, sola externa specie delusi, non solum bonas horas inutiliter locant, sed et sumptus, et pecuniam suam ludos faciunt, verumque esse comprobant vulgatum illud: Stultitiam patiuntur opes. Num non enim fatuitas est, florem unicum, nullo vel odore vel usu, aspectu solo ac novitate commendabilem, quique octo dierum aetatem

ferre didicit, quingentis aut mille florenis praestinatam redimere? quod ipsum apud nonnullos solemne novimus. Deliciae et voluptates hortorum eae mihi demum placent, quas utilitas pariter et proficuum emolumentum comitatur, redundans partim in sanos ad victum, partim in aegros ad medelam.

Cum autem celebres Wratislaviae multorum sint horti, tum vero nobilis praecipue superioribus annis fuit Scholzianus ille*), quem vir clarissimus, Laurentius Scholzius a Rosenaw, medicus Wratislaviensis, in ipsa urbe prope templum S. Christophori, neglectum diu ac ruinosum, in laudem (uti quidem inscriptio habebat, saxo insculpta,) omnipotentis Dei, patriae honorem, amicorum ac rei herbariae studiosorum gratiam, et in sui ipsius a laboribus et studiis artis suae recreationem, suis sumptibus instauravit, et inquilinis atque exoticis plantis egregie exornatum, quamdiu vixit, impenso studio coluit: imitatus nimirum morem, sublimibus ac liberis naturis proprium, quae, curas quandoque urbium exuentes, e florum et herbarum cultu in patenti aëre solatium ac quasi animi refrigerium haurire solent. Et verò verbis exprimi vix potest, quae florum herbarumque in eo copia et varietas, quis ordo fuerit, quam apte omnia in areolas suas pulvillosque disposita, quae frondium textura, quae viridaria. Praecipuas laudes merèbantur aviaria duo, alterum formae pyramidalis, alterum quadratae, periclymeno obvoluta. Specus et cenotaphium, in quo primi hominis vetito pomo incumbentis simulacrum, pyramides ex conchyliis, aliaeque res quam plurimae, pretiosae, mirabiles et exoticae: fonticulus cum Dea Flora: porticus, honestis ludis dicata, variis imaginibus, habitus diversarum gentium referentibus, multisque rebus maritimis exornata: pergula amoenissima, artificiosissimis picturis et iconibus undique decorata: labyrinthus ex rosis, ne quid de aliis inibi inventis elegantissimis dicam, loco ac domino illo dignis: usque adeo, ut hortum illum haud modo cives atque exteri summa cum admiratione ac voluptate spectare soliti, sed et viri clarissimi, ut molestias illas, quas in horti cultura aliquot retro annis vir summus sustinuerat, ei quodammodo lenirent ac dulcorarent, carminibus suis doctissimis cohonestare dignati sint. E quibus si vel bina, unum Wackerianum, alterum Rhedigerianum, subjecero, haud lectori ingratum fore spero.

*) De hoc horto, urbis nostrae olim celeberrimo, cujus vestigia adhuc exstant, ac de conditoris Scholzii vita, moribus et studiis subtiliter copioseque disseruit Aug. Guilelm. Eduardus Henschel, sagacissimus antiquitatis investigator, in libello, qui inscriptus est: *Zur Geschichte der botanischen Gärten und der Botanik überhaupt in Schlesien im XV, und XVI. Jahrhundert.* Conf. *Allgemeine Gartenzeitung von Otto und Dietrich.* Vol. V. anni 1837. pag. 61 seq.

In hortum Laurentii Scholzii, medici Wratislaviensis.

1.

Thessaliae laudent alii cultissima Tempe,
 Commendent hortos Alcinoique alii:
 Ille Guilandinâ viridaria consita dextrâ,
 Isti, Aicholce, tuos, Caesariane, tholos:
 Nos Scholzi miros celebremus solius hortos,
 Naturae atque artis nobile ditis opus,
 In queis Thessaliam vincit vel Sarmata tellus,
 Slesius Austriacum, Prussiacum, Alcinoum.

Joh. Matth. Wacker a Wackenfelsa.

2.

Hic Florae sacer est, quondam sine nomine campus,
 Area nunc Scholzi nobilitata manu.
 Nil hic, quod castos possit corrumpere mores,
 Nulla hic obscoeni turpia signa dei:
 At peregrinorum foecunda colonia florum,
 Inde usque e Libyci viscere ducta soli.
 Hic sua miratur septemplicis accola Nili
 Semina, et hic bulbos utraque Java suos,
 Et quae Vesputio primum, primumque Magello
 Obtulit intacti Nympha cubile thori.
 Nec jam pensilibus Quadus invidit amplius hortis,
 Quos vel Arabs, Latii vel colit uber agri.
 Non flores cessare novi hic, non frigore desunt:
 Et rapit hinc species, hinc odor, inde color.
 Hic ebur, ille aurum, hic flammâs imitatur Olympi,
 Et magis hunc niveum dixeris esse nive.
 Hinc gravis, hinc suavi jucundior halat amomo
 Spiritus, hinc Moschi nobile virus olet.
 Hunc caput e calyce, e vagina videris illum
 Efferre, e tenero hunc palmitis gemma parit.
 Haec cum flore adfert frugem, sine floribus illa,
 Haec sine radice est, frondibus illa caret:
 Atque alias summo tantum quae vertice crescit,
 In plano hic discit cymata ferre solo:

Ipso ut translatum credas cum semine solem,
 Et cum sole ipsum huc pene abiisse solum.
 Haec novus, haec nobis plantaria struxit Adonis
 Scholzius: hac Lygios dote beavit agros.
 Ite procul capri, petulans genus, ite molossi,
 Et si qua est teneris turba inimica scapis.
 At vos huc, juvenes, vos huc sine crimine, Nymphae,
 Ferte gradum: vestro haec pergula sacra gregi.
 Carpite nascentes, at parce carpite flores:
 Odit furaces Flora severa manus.
 Hic animum, hic nares, oculos hic pascite fessos,
 Mutuaque ad tactam dicite verba chelyn:
 Scholzius haec quondam nobis pater otia fecit:
 Di, sacrum aeterna cingite fronde caput.

Nicolaus Rhediger a Strisa.

Leges qua hortenses, qua convivales, Mantis lectori exhibebit: nec minus fortean legi merebatur Valentis Acidalii in eundem hortum Janus Quadrifrons. Sed quia carmen illud aliquanto prolixius, cupidum lectorem ad poemata Acidaliana ipsaque adeo Poetarum Germanorum delicias a Jano Grutero editas emitto: illud interim minime dissimulandum ratus, fuisse aliquos, qui virorum optimo vitio verterent, quod abjectis oeconomiae curis magis necessariis pene totus in hac esset, ac quanquam haud valde locuples ei arca, sumptus magnati quidem convenientes, sed privato majores faciens, rem omnem liberis relinquendam horto absumeret. Quos inter Josephus Pezoldus, physicus Gothanus, ambitum ejus hujusmodi verbis perstrinxit:

„Ego, quae de hortuli tui cura scripsisti, libentissime legi. Habeo quidem „elegantem et spatiosum hortum, qui multa capit: verum tamen, quia Dei gratia „paterfamilias sum, non tantum medicinae studiosus, nunc magis sapida poma et „longaeva pira requiro, quam speciosos rerum inutilium flores et sumptuosa exo- „tica. Studium tamen rei herbariae non abjicio, et voluptatis causa nonnulla colo. „Gothae III. Cal. Octobr. A. C. MDLXXXI.“

At vero, posteaquam herus vivere, hortus quoque (ea successorum sive sordida, sive parsimonia fuit) excoli desiit: donec novum tandem nactus fuit dominum, Petrum Kalenbergerum, pharmacopoeum: qui non modo velut e cineribus in vitam et lucem revocatum pristinae amoenitati restituit, sed et herbis, fruticibus, arboribus, radicibus, floribus ac fructibus rarioribus, aedificiis adhuc, cum primisque pulcherrimo antro sive crypta, opere cochleario adfabre facta atque artificiosis aquarum ductibus irrigua, aliisque qua naturae, qua artificialis indu-

striae lenociniis, ad honestam animis capiendam oblectationem comparatis, eum in modum auxit, ut non solum Zephyrus et Flora, sed ipsa Venus et Gratiarum chorus habitare in ea videatur, ipseque adeo Scholziano veteri multis nominibus jure ac merito anteferri possit. Kalenbergero terris erepto, in horti qua dominio, qua cultura, ejus vidua Dorothea Feifeliana successit; sed quae cum et ipsa vivere desiisset, aere sibi suo comparavit illum Jacobus Crusius, pharmacopoeus. Quem ut scire, velle, posse hortum colere nullus dubito, sic, ut industriae ejus ut et aliorum *φιλοκήπων*, supremus ille ac primus hortorum patronus Deus faveat et solidam e coelo benedictionem conferat, precor.

Praeter hunc visu et aditu haud indigni sunt in ipsa quidem urbe Tilesianus, Islerianus, quemque nostra aetate Magnus Hain adornavit, hactenus autem vir illustris, Maximilianus de Giersdorf, S. Caesareae Majestatis Commissarius bellicus per utramque Silesiam Generalis, tenuit: extra urbem autem, cum in prato Suidnicensi Zangerianus, tum in insula, quae civium vulgo dicitur, Keltschianus ac Ridelianus: et hi quidem eo amoeniores, quod in ipsa Viadri fluentia (ad haec enim siti) prospectum praebeant gratissimum.

Quod si quis hortenses aut non amet aut habere nequeat delicias, habet is, praeter valla et pomeria, extra urbem deambulacra quam plurima, qua pratis floridis, in quibus etiam errare omne pecudis jumentique genus volupe sit oculis, qua agris amoenis, qua arbustis umbriferis, qua arvo frugum ferace interstincta: unde honestam animi laxationem aequae percipiat, ac si liceat ei in suo vel alieno orto cum nobilissimo Donza,

ordines

Et e virente pergula
Notare florum et omne stirpium genus
Hiante obire lumine,
Novoque rariora ab orbe semina
Sagace nare persequi.

Et ante portam quidem Lateritiam excursus ille planissimus versus Zedlicium, tum propter prospectum ad Oderam liberrimum juxta ac pulcherrimum (quippe cum sicut navigatio prope terras, sic ambulatio propter aquas sit jucundissima), tum propter consitum ibi salicetum, arboribus latam umbram diffundentibus opacum, ac vicinas ex utraque ripa silvas, singulari prae ceteris amoenitate adeo commendatur, ut nonnulli eum Tempe Doctorum adpellare soleant. Ante portam Viadri-
nam, ponte jam transito, ad sinistram pergentibus offert sese Insula Sclopetario-
rum, praeter aedificia et conclavia, quae usibus collegii illius sive societatis inser-
viunt, ambulacris, viridariis, pergulis, tabulis et sedilibus sic instructa, ut magna
hominum utriusque sexus multitudo, quum sudum est, non modo in eam volup-
tatis gratia exspatiari, sed et cibum indidem cum suis capere soleat.

Ante portam vero Molendinariam occurrit insula, quam paullo ante nominavi, Civium, — sic nimirum dicta, quod horum honestis et jucundis recreationibus jam olim destinata fuit. Uti adparet ex Laurentii Corvini Novoforensis carmine elegiaco de Apolline ac novem Musis, anno superioris seculi tertio, per Cunradum Baumgarten de Rotenburga Wratislaviae impresso: in cujus statim initio semitam et aditum ex urbe in frondosum hoc nemus (verba auctoris usurpo), ad septentrionem urbis situm, et multa specie herbescentis viriditatis refertum, et imminente vespera civium ingressu et puellarum choreis in aestate voluptuosum et perjucundum, sequentibus versibus describit:

Hic, ubi Bresla potens et in aedibus indita sacris
 Moenia praeruptis tollit in alta jugis:
 Itur in arboreum suspenso ponte rubetum,
 Serra ubi mordaci robora dente secat, *)
 Et qua multivagis agitata rotatibus almae
 Matris Eleusinae munera saxa terunt.
 Spumeus hoc circum sinuosis volvitur undis
 Odera, arenosam et gurgite radit humum.

*) Conf. Barthol. Steni descript. Vratislaviae p. 17.